



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Apis Argvmentosa P. Georgij Schrötelij**

**Schrötel, Georg**

**Coloniæ Agrippinæ, 1633**

Pvlchra Vt Lvna. a.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46515)

cordi meo, vt videam numerum iniquitatum mearum, & sciam quid desit mihi. Quæ in cœlis coronata triumphas in omnem æternitatem, Amen.

## P V L C H R A V T L V -

N A. a

I.

**F**ecit Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præffet diei, & luminare minus, vt præffet nocti. *b* Peccatores in tenebris ambulare, & opera tenebrarum facere passim in S. Scriptura reperitur. Hos frequenter Luna nostra, Beatissima Virgo Maria illuminat, & misericordiæ suæ radijs, tenebras eorum discutit, ne tanquam cœci ambulent, & parietem palpent. *c*

Q 2

2. Con-

a Cant. 6.

b Gen. 1.

c Esa. 59. Iob. 5. &amp; 12.

2.

Constat, omnes stellas, suum lumen, à Sole accipere: idem de Luna rectè affirmatur. Hinc Rupertus, *a Sicut Luna, inquit, lucet, & illuminat luce non sua, sed ex Sole accepta; Sic tu, ô Beatissima, hoc ipsum, quod tam lucida es, non ex te habes, sed ex gratia diuina, gratia plena. Quomodo autem lucem suam naçta fit, idem Rupertus paulo superius clarius explicat: Quando, inquit, Spiritus S. in te superuenit, & filium Virgo concepisti, Virgo peperisti, tunc tu, & ex tunc pulchra, pulchritudine diuina; pulchra inquam non quomocunque, sed, vt luna.*

3.

Inter Planetas, Luna terræ vicinior est, variè influit in hæc inferiora, & potenter operatur: Mari peculiariter dominari dicitur. Ita Maria Virgo, peccatoribus vicinior se præbet, & mira in cordibus eorum operatur. Procellosum hoc mare miseriarum nostrarum ipsa guber-

*a Cant. 6.*

gubernat, vt meritò nos ei peculiariter commendemus, eiusque directioni, & protectioni nos committamus.

4.

Luna non semper æqualiter splendet: aliquando plena cernitur, quandoque cornuta, aliquando omninò euanescit, & à nobis non cernitur: id ex interpositione terræ contingit: Quid si prauis nostri affectus, & terrena desideria causarent, vt Maria non æqualiter semper nobis splendeat, aut omnino aliquando non luceat? Certè solæ nubes aliquando ipsam abscondunt. Quid si vapores crassi, & terrestres ex corde nostro ascendentes, ipsam nobis subtrahant, quo minus nobis splendeat? In se saltem ipsa lumine solis semper plena est, defectus, & mutationes aliunde veniunt. *Defectus omnis, inquit S. Bernard. a sub ea, & quicquid fragilitatis, seu corruptionis est, excellentissima quadam sublimitate præ cæteris omnibus excedit, & supergredi-*

Q 3

tur

2. Lib. 6. in Cant.

tur creaturis, vt meritò sub pedibus eius Luna esse dicatur. Maria, inquit S. August. in Ps. 142. Maria Lunam sub pedibus habebat, quia mortalitatem carnis crescentis, & decrescen-  
tis, Virtute calcabat. Et Petrus Damianus. a Maria, inquit, inter animas Sanctorum, & Angelorum choros supereminens, & euecta, merita singulorum, & omnium titulos antecedit. Quantumlibet alia stella reluceant, Luna tamen & magnitudine præeminet, & splendore; sic vtramq; naturam (hominum & Angelorum) Virgo singularis exsuperat, & immensitate gratia, & fulgore virtutum. In hunc sensum etiam S. Hieronymus. b Pulchra vt Luna, inquit, Maria, imò pulchrior quàm Luna, quia iam sine defectu sui coruscat, cœlestibus illustrata fulgoribus. Guilelmus in Cantica: c Maria, inquit, sanè pulchra, vt Luna, dicitur, propter florem Virginitatis, electa vero, propter fructum fœcunditatis, & paulo infra: Planè ipsa est Luna, ipsa est Sol: Luna propter insigne pulchritudinis, Sol verò propter prerogatiuam electionis. Hailgrimus  
super

a Serm. de Ass. b De Ass. Virg. c Cant. 6.

super hunc locum; *Maria*, inquit, cum  
 audisset sibi promissam tantam magnitudi-  
 nem, quod foret Mater Dei, sese minuit vsq;  
 ad Ancillam, & in hac imminutione concepit,  
 & facta est plena. O gratia plena, Luna per-  
 fecta.

5.

Luna aliquando prænunciat tempe-  
 states varias, iuxta illud tritum: Pallida  
 luna pluit, rubicunda flat, alba serenat.  
 Colores autem similes in se non habet,  
 non est vitium in Luna, quæ supra nu-  
 bes semper est ubi similis, sed pro aeris  
 puritate, vel impuritate nobis variè ap-  
 paret: Sic Mariam pro conscientia no-  
 stræ statu, & morum vitæ, aliquando to-  
 tam mitem, & misericordia Matrem  
 experimur, aliquando iratam, pe-  
 riculum, pœnas minantem,  
 & vindicem iniquita-  
 tum.

Q 4

PIÆ

PIÆ CONSIDERATIO-  
NES.

I.

**V**bi animaduertes Solem Iustitiæ in corde tuo occumbere, & disparere gratiam, consolationem, charitatis actus deferuescere, Spiritualia omnia tenebrescere &c. Spem tuam pone in hac luna, quæ dominatur, & præest nocti: ortum eius auidè expecta, observa, fruiere eius luce, attende quò tibi ambulandum. Gaudet viator noctu, cui iter necessario faciendum, si lumine hoc frui possit, sine quo, in tenebris, cum periculo pergendum esset; inuoca hanc, *Illuminare his, qui in tenebris, & umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*, Roga, vt sua cœlesti influenza, bona & salutaria in corde tuo operetur.

2. Ca-

2.

Caue, ne causa sis alicuius Eclipsis,  
& defectus, per interpositionem terre-  
norum desideriorum: hæc Luna alio-  
qui parata est tibi pleno lumine splen-  
dere.

3.

Caue aliud malum, ne ascendant ex  
corde tuo pravi motus, qui nubes, &  
tempestates generent, & Lunæ splendo-  
rem tibi subtrahant, occultasque cele-  
stes influentias impedian.

4.

Caue etiam inconstantiam, de qua  
Salomon, *stultus vt Luna mutabitur*. Per-  
fiste in benè cœptis, & sanctis tuis pro-  
positis. *a*

5.

Recordare temporis, *quando Lu-  
na non dabit lumen suum*: b Tu vttere, &  
fruere, dum splendet. Erit enim tempus

Q 5

quan-

a Eccli. 27.

b Matth. 24.



quando nec gloriosissima hæc Virgo, etsi dulcissimo suo filio, flexis genibus pro peccatore supplex fieret, quicquam impetrare poterit: & tunc nec volet iustissimi Iudicis sententiam mutare.

## O R A T I O.

**O** Elegans astrum, O amabile sydus, cœlestis Luna, gratia Dei plena, quæ huius Mundi tenebris præes, commune peccatorum refugium, qui in tenebris, & umbra mortis habitant; Ah fulge mihi pleno lumine, & illustra cor meum: monstra viam, qua per obscura securè gradiar: influe, & insinua te, potentibus radijs, & occultis auxilijs operare in me opus salutis. Purifica cor meum, ne ex terrenis desiderijs nubes inde consurgant, & se inter me & te interponant, quæ salutare illud lumen mihi subtrahant, & tempestatibus cor meum inquietent. Id ardentissimis votis, à te humillimè peto dulcissima Virgo Maria. Quæ in cœlis coronata.

ELE-

## ELECTA VT SOL.

Vide supra, Mulier amicta Sole.

TERRIBILIS VT CA-  
STRORVM ACIES OR-  
DINATA. &

**T**erribilis est hæc Virgo communi nostro hosti, ex vaticinio, & Dei decreto, quando serpenti dixit, ipsa conteret caput tuum. *b* Vnde Fulbertus Episcopus Carnotensis ait: *Contriuit Maria Virgo caput serpentis, seruando Virginitatem, & humilitatem, quia & hac extinxit mentis superbiam, & illa carnis concupiscentiam. Contriuit potentiam Sathane per filium, quem genuit, spoliando illum dominio suo. Contriuit astutiam eius, nempe sapientiam terrenã, per paupertatẽ Spiritus.* Vnde de illa dici potest, *Vna mulier Hebræa*

Q. 6

fecit

*a Cant. 6.**b Gen. 1.*